

TABULÆ BOTANICÆ

E L E M E N T A R E S

Q U A T U O R P R I O R E S

S I V E

I C O N E S P A R T I U M

Q U A E

IN FUNDAMENTIS BOTANICIS DESCRIPTIBUNTUR.

A U C T O R E

D O M E N I C O C Y R R E L L O

PH. ET MED. DOCT. ET IN NEAP. LYC.  
THEOR. MED. PROF.

N E A P O L I

M D C C X C .





## P R A E F A T I O.

*T*abulae Botanicæ Elementares quatuor, quæ Fundamenta Botanica, sive Linnæi Philosophiam Botanicam, a nobis peculiari Opere illustratam respiciunt, modo evulgantur. Oportebat enim ut difficilis admodum disciplinæ rudimenta, brevissimis definitionibus inclusa, fidelibus etiam oculis subiicerentur; segnus enim irritant animos demissa per aures. Generales in plantis partium differentiæ, structura, situ & proportione a se invicem distinctæ, eleganti objectorum representatione a tyronibus unico intuitu assequuntur; præsertim illæ quæ singulari, quamvis graphicò vocabulo, a Linnœo designantur. Elementarem hanc Rei herbariæ particulam nitidis iconibus exornare, non nisi imperfekte, usque adhuc tentarunt Botanici. Linnæus Fundamentales figuræ, & plerumque ideales, Philosophiæ Botanicæ adjunxit; Scopoli proprias vilissimas Linnæanis admiscuit; mediocres Millerus tradidit; Reuss intolerabiles somniavit. Aliorum icones elementares turpe propter modum videtur adnotare. Nemo ingenium botanicum & investigandi studium, cum arte pictoria ac delineandi industria copulavit. Figuræ igitur Elementares, quæ scilicet peculiari perspicuitate radicum, cælium, foliorum, florum, fructuum differentias ostenderent, adhuc desiderabantur. Operi huic manus adhibui, & quidem audacter! Objecta ipse ad naturam delineavi, & certum iconum numerum, in quatuor tabulas, quæ numerosis aliis per intervalla sequuturis præmittuntur, distributum, Botanicorum judicio committendum esse existimavi. Si resurgentes jam corporis vires post lethalem morbum; si magni momenti occupationes otium necessariamque alacritatem suppeditabunt, & reliquæ progressu tem-

*temporis absolvi poterunt: Nullum servavi ordinem, neque regulariter, uti in Fundamentis botanicis a radice ad caules, ac dein ad folia &c. deveni; nam objecta pretiosiora, uti sunt nectaria diversa, staminum characteres & differentias primo exaravi. Absoluto tamen opere, unicuique peculiari ordine tabulas collocare liberum erit. Dum simplices proponuntur elementares doctrinæ, saepe & novæ observationes, characteres essentiales nonnullorum generum explicantur, & communibus figuris incognitæ adhuc partium fructificationis formæ admiscentur. Utinam unius hominis activitate Genera plantarum, figuris omnibus ad naturam delineatis illustrari possent! Nil certe præstantius.*

## N E C T A R I U M . I.

*Essentia consistit in Nectario. Linn. Syst. Nat. Relique inconstantes semper sunt partes fructificationis; hinc Nectario incognito, tanta confusio generis.*

Linn. Gen. pl. 699.

FIG. I.

**N**ectarium Petaloideum. exemplum.  
*Galanthus nivalis*. Linn. Sp. pl. 1. 412. n. 1.  
*Nectarium cylindraceum*, *triphyllum*, *petalis di-*  
*mido brevius*, *foliolis petaloideis*, *parallelis*,  
*emarginatis*, *obtusis*. Linn. Gen. pl. 401.

FIG. I.

*a* Flos integer.  
*b, b, b*, corollæ petala tria.  
*c, c*, Nectarium a corolla separatum, cum uno e-  
 tribus foliolis pendulo, ut pistillum appareat.

FIG. II.

*Nectarium foveola*. exemplum.

*Valeriana Cornucopiae*. Linn. Sp. pl. 44. 3. *Tu-*  
*bis a latere inferiori*, (num interiori?), *necta-*  
*riferus*, *gibbus*. Linn. Gen. pl. 44. In hac  
*Valerianæ* specie tubi pars interior, *a*, gibba  
 elevatur in sacculum parvum, nectariferum,  
 quem magnitudine auctum repræsentat fig. *b*.

FIG. III:

*Nectarium calcar*. exemplum *i*.  
*Valeriana rubra* Linn. Sp. pl. 44. n. 1. nectarium  
 habet caudatum, *a*; nectario hoc Linnaeus  
 utitur in definitione specifica, quæ est *Vale-*  
*riana floribus monandris caudatis*, *foliis lan-*  
*ceolatis integerrimis*. Sp. pl. l. c.

FIG. IV.

*Nectarium infundibuliforme*, *coronans*. exemplum.  
*Narcissus (Tazetta) spatha multiflora*, *ne-*  
*ctario campanulato*, *truncato*, *breviore petalis*,  
*foliis planis*. Linn. Sp. pl. 416. n. 7. In Nar-  
 ciso Linnaei Gen. pl. 403. nectarium est *mo-*  
*nophyllum*, *a*, *cylindraceo-infundibuliforme*, *lim-*  
*bo coloratum*. Sed limbus nectarii sèpe cum  
 flore concolor est, uti in *Narciso Tazetta*,  
*odoro*, *Jonquilla* &c. hinc limbi color pro-  
 nota generica non est assumendum.

FIG. V.

*Nectarium corniculatum*. exemplum.  
*Viola odorata*. Linn. Sp. pl. 1324. n. 8. *Petalum*,  
*b*, *supremum rectum*, *doorsum spectans*, *latius*,  
*obtusius*, *emarginatum*, *definens basi in necta-*  
*rium corniculatum a, a*, *obtusum*, *inter calycis*  
*folia prominens*. Linn. Gen. pl. 1007. litera *d*,  
 in altera figura petalum quoque supremum  
 indicat a flore sejunctum & nectario, *a*,  
 adnexum.  
*e*, *stamina quinque a flore sejuncta*, & a se  
 invicem separata; hinc fortasse non recte ad  
 Syngenesiam amandavit Violam Linnaeus.  
*Petalum*, *b*, in prima &, *d*, in secunda figura  
 inferiorem, non superiorem floris partem oc-  
 cupare videtur, est tamen petalum supremum  
 respectu floris. Recte igitur Linnaeus ad fi-  
 nem characterum genericorum addidit: *Flos in*  
*Europæis (Violis) semper inversus est*, *in India-*  
*cis* *sæpius rectus*, *unde diversa facies apparet*.

FIG. VI.

*Nectarium corniculatum*, *calycinum*. exemplum.  
*Tropæolum majus*. Linn. Sp. pl. 490. 2. *Perian-*  
*thium monophyllum* 5-fidum, *erecto patulum*, *acu-*  
*tum*, *coloratum*, *deciduum*; *laciniis duabus inferio-*  
*ribus angustioribus*; *postice cornutum*, *Nectario*,  
*a*, *subulato recto*, *longiore*. Linn. Gen. pl. 466.  
*Calyx itaque coloratus postice elongatur in ne-*  
*ctarium corniculatum* *a*.  
*b*, *filamenti pars inferior in Tropæolo crassa*,  
 cui imponitur filamentum tenui, *c*, cum sua  
 Anthera.

FIG. VII.

*Nectarium calcar*, *a quo flos nascitur calcara-*  
*tus*. exemplum *2*.  
*Antirrhinum*. Species hæc non bene descripta,  
 in Fasciculis nostris botanicis delineanda.

B

*a*, *Ne-*

( VI )

*a, Nectarium calcavatum.*

*Nectarium ad basin corollæ deorsum productum prominens. Linariæ T. nectarium longum subulatum. Linn. Gen. pl. 750.*

FIG. VIII.

*Nectarium glandulosum. exemplum 1.*

*a, glandula cum gutta mellis, b, in extremitate, filamenti, c, basin occupat.  
d, glandula triangularis a stamine sejuncta.  
e, gutta mellis.*

FIG. IX.

*Nectarium glandulosum. exemplum 2.*

*Arenaria verna. Linn. Mantiss. 1. 72. n. 19.*

*Fig. 1. ramulus cum floribus.*

*a, glandula nectarifera gutta mellis coronata, ad basin filamentorum alternatim posita.  
b, b, stama duo, altero nectarifero.  
c, pistillum. Stama quinque alterna, glandulis nectariferis germinis imponuntur, & ideo longiora & approximata; quinque vero e receptaculo oriuntur. Glandulas nectariferae obtusæ sulcum in apice longitudinalem, guttula mellis instructum, habent.*

*Observationem adnotavimus in Fundamentis nostris botanicis p. 181. vol. I.*

FIG. X.

*Nectarium utriculatum. exemplum.*

*Asclepias fruticosa. Linn. Sp. pl. 315. n. 14.*

*a, b, Utriculi nectariferi germen cingentes.*

*b, utriculi pars media.*

*c, corniculata utriculi extremitas.*

*Nectaria quinque, cingentia genitalia, quorum singula ex ovato oblique extrorsum aurita, e fundo corniculum acutum, versus genitalia inflexum. Linn. Gen. pl. 306.*

FIG. XI.

*Nectarium subulatum. exemplum 1.*

*Melia Azedarach. Linn. Sp. pl. 550. n. 1.*

*a, Nectarium integrum tubulatum.*

*b, Nectarii pars aperta, & magnitudine aucta.*

*c, c, Antheræ ori nectarii affixa.*

*Nectarium cylindraceum, monophyllum, longitudine corollæ: ore multidentato.*

*Stam. Filamenta decem minima, intra apicem nectarii inserta. Anterae nectarium non superantes, oblongæ. Linn. Gen. pl. 527.*

FIG. XII.

*Nectarium polypetalum. exemplum.*

*Orchis militaris. Linn. Sp. pl. 1333. n. 19.*

*a, a, a, a, Nectarii labium inferius quinquepartitum. Labium superius petalis occultatur.*

*b, germen inferum, contortum.*

*Nectarium monophyllum, a latere inferiore inter divisuram petalorum receptaculo affixum: Labio superiore erecto, brevissimo: Labio inferiore magno, patente, lato. Tubo postice corniformi, nutante. Linn. Gen. pl. 1009.*

FIG. XIII.

*Nectaria staminiformia. exemplum.*

*Commelina tuberosa. Sp. pl. 61. n. 6.*

*a, Flos integer, naturalis magnitudinis.*


*b, b, Filamenta nectariorum.*

*c, c, c Nectaria cruciformia horizontalia.*

*Nectaria tria, stama mentientia, filamentis propriis insidentia, cruciformia, horizontalia. Linn. Gen. pl. 62.*

*Nectaria hæc sunt potius stama abortiva. Linnaei observatio l. c. apponenda.*

*Numerus differens est, binc si petala quatuor parva equalia sint, tum e numero reliquarum partium, unicam tertiam partem excludas, nectarriis autem unitatem addas & habebis numerum quæsumum.*



Dyrrillus del.

Nectarium ~ 1.

Ang. De Groot scul.







## N E C T A R I U M II.

### FIG. I.

**N**ectrarium *Capsulare exemplum.*  
*Clitoria Ternata.* Linn. Sp. pl. 1025. n. 1.  
 a, a, Flos integer cum bracteis.  
 b, Nectarium rotundum *capsulare striatum*; ger-  
 men includens; cum staminibus & pistillo.  
 c, Nectarium magnitudine auctum & longi-  
 tudinaliter apertum.  
 d, d, Appendices internæ nectarii lateribus af-  
 fixæ, sive margo incurvus nectarium clau-  
 dens.  
 Obs. Linnaeus nullam in hoc genere Nectarii  
 mentionem fecit. Simile valde Nectario glo-  
 boso, sive capsulari *Mirabilis*. Vide Disserta-  
 tionem nostram *De essentialibus nonnullarum*  
*plantarum characteribus.* p. 48. Tab. 3. fig. 2.

### FIG. II.

*Nectarium corona exemplum.* 1:  
*Passiflora foetida.* Linn. Sp. pl. 1359. n. 21.  
 a, a, radii nectarium undique cingentes.  
*Nectarium corona triplex;* exterior longior, intra  
 petala stylum cingens, superne magis coarctata.  
 Linn. Gen. pl. 1021.

### FIG. III.

*Nectarium valvulare exemplum.* 1:  
*Asphodelus luteus.* Linn. Sp. pl. 443. n. 1.  
 a, flos integer, in quo stamina pinguntur tria  
 longiora declinata; sive versus partem infe-  
 riorem propendentia: adnotante Linnaeo l. c.  
*Nectarium* b, constituunt valvulae staminum in-  
 curvæ, quibus filamenta imponuntur.  
 Stamina basi membranacea, concava, nectarifera,  
 germin cingentia, & a germine ex parte se-  
 parata, quo appareat cavitas nectarii.  
 c, stamen unicum, squamæ nectariferæ imposi-  
 tum.  
 d, petalum corollæ nectario affixum:

### FIG. IV.

*Nectarium tubulatum exemplum.* 2:  
*Ruscus Hypoglossum.* Linn. Sp. pl. 1474. n. 3.  
 a, Flos femineus integer, cum nectario tu-  
 bulato.

b, nectarium a flore sejunctum.  
 c, germen nectario inclusum, cum particula  
 nectarii lacerati.

*Nectarium ovatum, magnitudine calycis, inflatum,*  
*erectum, ore debiscens.* Linn. Gen. pl. 1139.

### FIG. V.

*Nectarium corona exemplum.* 2.

*Silene pendula.* Linn. Sp. pl. 599. n. 19.

a, denticuli duo nectarii in singulo petalo.

Stamen adnexitur angui petalorum.

*Nectarium componitur e duobus denticulis, in*  
*collo cuiusvis petali, coronam faucis constituant.*  
 Linn. Gen. pl. 567.

Hoc charactere essentiali *Silene* a congeneribus  
 distinguitur.

### FIG. VI.

*Nectarium squamosum exemplum.*

*Ranunculus Illyricus.* Linn. Sp. pl. 776. n. 17.

a, squama nectarium constituens, ad basin pe-  
 talii posita.

b, squama nectarifera a petalo separata, & leu-  
 te aucta.

*Nectarium est foræ in singulo petalo supra ut-  
 guem.*

*Nectarium hoc in aliis poros nudus, in aliis*  
*margine cylindraceo cinctus, in aliis squamu-*  
*emarginata clausus.* Linn. Gen. pl. 699.

### FIG. VII.

*Nectarium valvulare exemplum.* 2.

*Campanula persicifolia.* Linn. Sp. pl. 232. n. 6.

a, a, valvulae staminiferæ nectarium compone-  
 tes, circa stylum dispositæ:

b, b, stigmata pistilli:

c, filamentum unicum, cum valvula nectarii.

d, stigma.

f, basis filamenti separatim delineata.

e, Anthera.

*Nectarium in fundo corollæ, constructum valvulis*  
*quinque, acutis, conniventibus, receptaculum*  
*tegentibus.*

*Stam.* Filamenta quinque capillaria brevissima in-  
 serta valvularum nectarii apicibus. Antheræ

filæ.

( X )

*filamentis longiores, compressa.* Linn. Gen. pl. 218.

OBS. *Campanula fragilis.* Fas. plant.

Stigma ante fecundationem clavatus, integer, clausus; regularibus pilis non tantum hispidus, sed muricatus. Perfecta florescentia deprehenditur loco pilorum gluten, in quo vestigia granulorum farinæ fecundantis adsunt. Dein stigmatis pars superior hiat, & finditur in tres lacinias, inferiore revoluta; & tunc evadit stigma tripartitum, oblongum, crassifuscum, laciinis revolutis.

Filamenta staminum ante florescentiam non apparent; sed Antheræ adhærent apicibus valvularum nectarii. Latera squamarum nectarii hirsutæ densa, sive potius lana inter se conjunguntur.

FIG. VIII.

Nectarium fimbriatum. exemplum.

*Phlomis fruticosa.* Linn. Sp. pl. 818. n. 1.

a, flos integer, cujus tubus in medio linea transversali dividitur.

b, b, tubi pars inferior fimbriis clausa, & nectarium constituens.

c, c, appendices sive elongationes recurvæ staminum inferiorum, in extremitate laceræ, vel potius fimbriatæ, post florescentiam marcescentes, quæ partem tubi inferiorem nectariferam perfecte claudunt, & stylum tantum transmittunt.

d, nectarium apertum cum germine, & parte inferiori appendiculum.

e, e, antheræ staminum.

f, stigma pistilli.

g, g, corona villorum sive fimbria nectarium coronans in parte interna tubi.

b, extremitas appendicis staminum microscopio aucta,

Inter appendices staminum ægre transit stylus. De hoc nectario nullam mentionem fecit Linnæus.

FIG. IX.

Nectarium occultatum. exemplum.

*Justicia Adhatoda.* Linn. Sp. pl. 20. n. 1.

a, a, Corollæ tubus brevis, gibbus, qui clauditur perfecte eminentiis duabus, basi lanuginosis, in rimam, quæ stylo recipiendo transmittendoque inservit, coeuntibus.

c, stigma pistilli.

b, Anthera sagittata sive ad basin bifida, quæ ita appareat post florescentiam; & tunc lobulum interiorem externo longiore habet.

FIG. X.

Nectarium pedunculare. exemplum.

*Geranium peltatum.* Linn. Sp. pl. 947. n. 9.

Flos ex parte postica, ut appareat folium a, superius calycis fornicatum, nectarium terminans.

b, foramen ad basin folii superioris calycis, a quo tubus nectarii incipit.

c, Nectarium per totam longitudinem apertum, usque ad pedunculi basin excurrens, & cum folio superiori calycis continuatum.

d, Geranii inquinantis. Linn. Sp. pl. 945. n. 2. pedunculus nectariferus apertus in dorso, cum petalis superioribus e, e, margini nectarii affixis, & cum cavitate inferiore d, melle repleta, quæ basin nectarii ipsius efformat.

Nectarium ita se habet in multis Geraniis Exoticis; Europæ habent glandulas nectariferas quinque ad basin germinis positas. Vid. Diff. De eff. plantar. charact. Tab. 3. fig. 8.


*Geranium peltatum* nectarium per totam pedunculi longitudinem excurrens, una cum folio calycis superiori saturate rubrum habet; pedunculi contra pars inferior cum reliquis foliolis calycinis viridem colorem habet.

*Geranium Albinilloides* & *Geranium triste* eadem nectarii formam habent.

*Gerania africana vulgo calycibus basi tubulosis, monophyllis.*

*Gerania Cicutaria vulgo . . . Petalis glandula interstinctis.* Linn. Gen. pl. 350.

STA



D'yratius det.

## *Nectarium II.*

*Ang. — Censor scul.*







S T A M I N A I.

F I G. I.

**A**nthera lateralis. exemplum.

Asarum Europaeum Linn. Sp. pl. 633. n. 1.

a, a, Antheræ binæ filamenti lateribus adnatæ.  
b, Stamen ante florescentiam declinatum.

c, filamentorum extremitas aculeata, incurva,  
qua stamina circa pistillum connivent tem-  
pore fœcundationis.

Antheræ oblongæ, filamentorum parieti medio ad-  
natæ. Linn. Gen. pl. 589.

OBS. Antheræ binæ, singulo filamento ad late-  
ra adnatæ. Stamina ante florescentiam revo-  
luta, declinata, a pistillo remota, b; horum  
sex instantे florescentia elevantur, stigmatis  
lacinias intrant, & extremitatibus aculeatis,  
c, inter se connivent.

F I G. II.

Filamentum villosum. exemplum.

Lanum album. Linn. Sp. pl. 809. n. 5.

Filamentum villosum.

F I G. III.

Filamentum articulatum. exemplum.

Euphorbia sylvatica. Linn. Sp. pl. 663. n. 62.

a, articulatio, quæ filamentum in duas partes  
divisum connectit.

b, corpusculum filiforme staminibus interpo-  
situm.

d, Anthera bivalvis horizontaliter aperta.

c, Anthera didyma, nempe ex duabus com-  
posita.

STAM. Filamenta plura ( duodecim vel supra )  
filiformia, articulata, receptaculo inferta, corolla  
longiora, diverso tempore erumpentia. Antheræ  
didymæ subrotundæ. Linn. Gen. pl. 609.

OBS. Antheræ didymæ horizontaliter posita,  
bivalves, valvulis in extremitate apertis  
c, d.

F I G. IV.

Stamina occultata. exemplum 1. Orchideæ, quæ  
in omnibus generibus eandem habent struc-  
turam.

a, a, filamenta naturalis magnitudinis, e fol-

liculis educta, basi plana subrotunda instru-  
cta, & numerosissimis antheris reserta.

b, Stamen microscopio auctum, in quo b,  
proprie basin planam subrotundam ostendit.

c, filamentum.

d, congeries Antherarum, quæ receptaculo com-  
muni adhærent.

e, filamentum antheris magna ex parte reflectis,  
ut receptaculum antheriferum in conspectum  
prodiret.

g, folliculi duo membranacei stamina includen-  
tes, & longitudinaliter hiantes.

b, filamenta cum antheris, e folliculis educta,  
& unico fere punto affixa.

F I G. IV.

f, f, Antheræ diversæ Orchidum, ab anthera  
communi separatae, nullo unquam polline fœtae.

STAMINA. Filamenta duo tenuissima, brevissima,  
pistillo insidentia. Antheræ obovatae, erectæ,  
rectæ duplicatura biloculari nectarii. Linn. Gen.  
pl. 1009.

Orchis Halleri. Stylus fixus, antice bilocularis,  
loculis membranaceis, clausis, quorum quodlibet  
fovet stamen unicum, cui filamentum basi atte-  
nuatum, ac proprie lamina, tanquam recepta-  
culo impositum. Scop. intr. n. 193.

OBS. Omnes hujus Familia plantæ antheras ha-  
bent numerosissimas, unico filamento, tan-  
quam receptaculo affixas. Neque corpuscula

f, f. Fig. IV. pro polline haberi debent; nam  
repugnat structura, magnitudo, peculiaris sin-  
gulorum adhæsio. Pollen itaque, sive farina  
fœcundans, a polline aliarum plantarum in  
hoc genere omnino differt; atque Orchideæ  
humore tenuissimo, descriptis corpusculis, nem-  
pe antheris inclusu, fœcundari videntur. Et  
quia antheræ communes propria capsula, sive  
propriæ involucro carent, ideo natura illas  
capsulis membranaceis, g, inclusit.

F I G. V.

Anthera bifida. exemplum.

Lamium Ovata. Linn. Sp. pl. 808. n. 1.

D, Hir.

a, Hirsuties antheræ.

Antheræ oblongæ, hirsute. Linn. Gen. pl. 716.

FIG. VI.

Filamentum longatum. exemplum.

Anthericum frutescens. Linn. Sp. pl. 445. n. 7.

a, b, Stamina duo cum filamentis barbatis, e  
flore sejuncta.

c, petalum staminibus adnexus.

FIG. VII.

Filamenta basi latiora. exemplum 1.

Delphinium consolida. Sp. pl. 748. n. 1.

a, Staminis filamentum basi latum, membra-  
naceum.

Stam. Filamenta plurima (quindecim vel triginta)

subulata, basi latiora, minima &c. Linn. Gen.  
pl. 681.

FIG. VIII.

Stamina occultata. exemplum 2.

Asclepias fruticosa. Linn. Sp. pl. 315. n. 14.

a, b, corpusculum truncatum, quo genitalia te-  
guntur, & cui stamina adhaerent.

c, c, utriculi antheras ininclude.

d, utriculi magnitudine aucta.

d, fulcri extremitas filamentorum basin con-  
nectens.

f, f, Antheræ magnitudine auctæ, absque pol-  
line.

g, bases filamentorum inter se connexæ.

FIG. IX.

Stamina occultata. exemplum 3.

Asclepias Kinostachys. Linn. Sp. pl. 314. n. 12.

Flos integer.

a, stamna ex utriculis educta.

b, basis filamentorum.

c, stamna magnitudine aucta.

d, bases filamentorum.

FIG. X.

Stamina occultata. exemplum 4.

Cynanchum acutum. Linn. Sp. pl. 310. n. 1.

a, stamna naturalis magnitudinis, ab utriculis  
educta.

a, a, eadem magnitudine aucta.

STAM. Filamenta vix illa. Antheræ quinque,  
corpusculo truncato nectarii intra squamas inser-  
tae, acute. Linn. Gen. pl. 306.

De Cynanco Linn. Gen. pl. 304. scribit.

STAM. Filamenta quinque longitudine nectarii pa-  
rallela. Antheræ contingentes, intra os corolle.

Corpusculo truncato, quo genitalia teguntur  
externe imponuntur fulera quinque superne  
obtusa, inferne angulo semilunari, acuto,  
prominulo terminata. Inter fulera collocan-  
tur squamæ extremitate scarioſa, tridentata,  
latere utrinque utriculato, pro staminum re-  
ceptione.

STAM. Filamenta decem per paria disposita,  
basi nigra, conjuncta glutine tenaci, atque  
extremitati fulcri incumbentia, unde fulcri  
apex niger apparet. Filamenta incurva, basi  
latiuscula, sensim attenuata, inversa, una  
cum antheris, singula, singulo utriculo in-  
clusa. Antheræ terram versus sunt inclinatae;  
filamentorum basis cœlum respicit. Anthe-  
re absque polline, capsula constant pellucida,  
ante florescentiam innumeris prominentiis no-  
tatae, post deflorationem diaphanae.

OBS. Si acu diligenter elevatur punctum ni-  
grum in extremitate fulcri positum, statim  
bina filamente arcum efformantia, una cum  
antheris, relictis utriculis, excunt. Singularis  
fructificatio Orchideis analoga. Stamina te-  
cta, non quinque, sed decem, unde Ascle-  
piadeæ ad classem Decandriam non Pentan-  
driam pertinent. Farinæ fecundantis absentia,  
utriculorum antheras includeantur necessitatem  
ostendit.

Historiam hujus fructificationis a Linneo negle-  
ctam, a Jacquinio, Rottbœlio aliisque illu-  
strata, doctissime tradidit & pulcherrimis fi-  
guris ornavit Jacquinus in *Miscell. Austriac.*  
in peculiari dissertatione de *Genitalibus Ascle-  
piadearum.*

FIG. XI.

Filamentum bifurcatum. exemplum 1.

Prunella vulgaris. Linn. Sp. pl. 837. n. 1.


a, ramulus filamenti nudus.

b, ramulus filamenti antheriferus.

STAM. Filamenta quatuor subulata, apice bifurca,  
quorum duo paulo longiora.

Antheræ simplices, inserta filamentis infra api-  
ces, tanquam in altero ramo. Linn. Gen.  
pl. 735.

FIG. XII.



Xyrlus del.

Staminae 1.

Ang. De Gheener scul.



( XV )

**F I G. XII.**

*Filamenta basi latiora. exemplum 2.*

*Ornithogalum umbellatum. Linn. Sp. pl. 440. n. 9.*

**F I G. XIII.**

*Filamenta gynandra. exemplum.*

*Cleome pentaphylla. Linn. Sp. pl. 938. n. 3.*

*a, a, a, Stamina sex adhaerentia germini pendunculato b.*

*c, petala cum calyce.*

*In quibusdam speciebus Germen pedicellatum est,  
O<sup>r</sup>o stamna pedicello juxta germen insident, ut  
in Gynandris. 1-4. Linn. Gen. pl. 826.*

**F I G. XIV.**

*Filamentum bracteatum. exemplum.*

*Gaura biennis. Linn. Sp. pl. 493. n. 1.*

*Fig. 14. flos integer.*

*a, b, squama ad basia filamenti posita.*

**F I G. XV. & XVI.**

*Stamina Muscorum.*

*a, a, Antheræ sive capsulae polliniferæ florum muscorum.*

*c, d, pollen in unum corpus spiraliter involutum tempore ejaculationis.*

*b, b, fulcra articulata staminibus fasciculatis interjecta.*

*Altera figura similem representat structuram ab altera specie desuntam.*

*Integrali fructificationis historiam in Muscis persequutus est diligentissimus Edwigi, in Tractatu Muscorum frondosorum, aliisque operibus.*

**F I G. XVII.**

*Filamenta articulata, elastica. exemplum. 1.*

*Urtica dioica. Linn. Sp. pl. 1396. n. 6.*

*a, filamentum staminis numerosis articulationibus compositum, & magnitudine auctum.*

*b, b, calycis foliolum.*

*c, c, Antheræ capsulares pollen emittentes.*

*d, Stamen naturalis magnitudinis.*

**F I G. XVIII.**

*Filamenta articulata. exemplum 2.*

*Parietaria officinalis. Linn. Sp. pl. 1492. n. 1.*

*a, Stamen naturalis magnitudinis, cum filamento articulato.*

*b, idem magnitudine auctum.*

*c, calycis foliolum ciliatum.*

*d, d, pollen antherarum:*

*OBS. Plures plantæ filamentis elasticis donantur.*

*Elasticitas a numero articulationum filamenti pendet. Filamenta intra calycem plicata, solis actione elastice expanduntur; quo pollen diffundatur supra foeminas remotas. Exemplo sunt, *Urtica dioica*, *Parietaria officinalis*, *Forskalia tenacissima*.*

*Filamenta quatuor subulata, perianthio florente longiora, illudque expandentia, persistens. Antheræ didymæ. Linn. Gen. pl. 1152. ...  
Vid. charact. effent. nost.*

**F I G. XIX.**

*Anthera pedunculata. exemplum 1.*

*Chelidonium majus. Linn. Sp. pl. 723. n. 1.*

*a, filamentum pedicello instructum, cui insidet anthera.*

*b, filamentum, superne latius, cum pedicello c, microscopio auctum. Vid. De effent. plant. charact. p. 40.*

**F I G. XX.**

*Antheræ appendiculatae. exemplum 2.*

*Plantago major. Linn. Sp. pl. 163. n. 1.*

*Figura prima florem naturalis magnitudinis designat.*

*a, Anthera magnitudine aucta.*

*b, appendix membranacea, bifida, laciniis æqualibus acutis.*

*OBS. Effensiam generis constituant appendices parvae, membranaceæ, ovato-lanceolatae, in apice utplurimum leviter bifidae, unicuique antero subiectæ, O<sup>r</sup>o quæ nudo etiam oculo conspiciuntur. Charact. effent. pl. p. 21.*

**F I G. XXI.**

*Stamina fulcrata. exemplum.*

*Oxalis Pes caprae. Linn. Sp. pl. 622. n. 6.*

*a, fulcrum staminis longioris c,*

*b, stamen brevius.*

*In figura altera.*

*a, fulcrum staminis longioris b,*

*c, stamen brevius.*

*d, gutta mellis puncto nectarifero imposita:*

*Eadem structura in Oxalide purpurea.*

*a, stamen longius,*

*b, fulcrum.*

*OBS. Filamentis staminum longiorum natura appon.*

apposuit fulcra, quæ usque ad tertiam filamenti partem ascendunt. Antheræ ita stigmatibus apprimuntur, nec vacillant. Fulcris ideo carent staminæ quinque breviora, & staminæ omnia Oxalidis corniculatæ, quæ breviora.

FIG. XXII.

Antheræ pustulatæ. exemplum.

*Cyclamen Europæum*. Linn. Sp. pl. 206. n. 1.

a, anthera naturalis magnitudinis.

b, basis antheræ membranacea.

c, anthera magnitudine aucta & punctis adspersa.

OBS. Antherarum superficies tegitur multis punctis elevatis; ideoque fere pustulosa appetet.

FIG. XXIII.

Antheræ cirrhotæ. exemplum.

*Cerinthe major*. Linn. Sp. pl. 195. L.

a, filamentum minimum membrana coronatum.

b, b, cirri contorti ad basin antheræ,

, in altera figura est filamentum cum anthera, c, & cirris b, b, lanuginosis, microscopio auctum. Vid. char. eff. pl. p. 22.  
OBS. Cirris inter se arcte conjunguntur antheræ satis longæ, nam absque cirrorum auxilio a stigmate recederent. Superficies antherarum exterior squamosa est.

FIG. XXIV.

Antheræ pedicellatae. exemplum 3.

*Salvia lyrata*. Linn. Sp. pl. 33. n. 3.

a, filamentum inferius.

b, b, antheræ filamento bifurcato, sive pedicello affixæ.

c, c, filamentum bifurcatum a filamento inferiori sejunctum.

STAM. Filamenta duo brevissima; his duo alia transversim in medio affixa, quorum extremitati inferiori glandula, superiori anthera insidet.

OBS. Filamentorum bifurcatio singularis constitutæ essentialem characterem. Linn. Gen. pl. 39.

POL

## P O L L E N.

**P**ollen est pulvis antherarum, qui in humido pistilli disrumpitur, atomosque elasticos ejaculat.

Figura pollinis sive farinæ staminum sere semper differt, prout Classes & genera plantarum inter se differunt &c. *Generationem Vegetabilium fieri mediante pollinis antherarum illapsu supra stigmata nuda, quo rumpitur pollen, efflatque auram seminalem, que absorbetur ab humoris stigmatis, quod confirmat Oculus, Proprio, Locus, Tempus, Pluviae, Palmaricole, Flores natantes, submersi, Syngenesia, immo omnium florum genuina consideratio.* Linn. Ph. Bot. §. 145.

Vidimus & nos aurae fœcundantis, sive humoris in pollinis cavitate contenti figuram; atque particularum fœcundantium cursum usque ad seminum embryones deteximus. Post innumeras enim magnorum viorum observationes, quibus fœcundatio inter certissimas naturæ operationes in Vegetabilibus constituitur, peculiares quoque anno 1761. a nobis, cum Cl. Viro F. Eyles Styles F. R. S. & Cel. P. Jo: Maria de Turre, observationes suscepimus fuerunt. Multa nobis magni momenti arcana natura declaravit; & post accuratissimas investigationes, numerosas manu mea delineatas figuras, Regiæ Societati Londinensi, una cum observationum commentario Eyles misit; uti appareat ex Transactionum Philosophicarum vol. LV. pag. 246. & sequi.

Memoratae modo figuræ præsenti tabula comprehenduntur, ut primo figura granorum pollinis microscopio aucta, deinde vero particulae singulis acinis farinæ fœcundantis inclusæ, & quæ auræ elasticæ nomen a Linnaeo obtinuerunt, innotescerent. Rursum iter particularum fœcundantium post granorum farinæ lacerationem, a villorum stigmatis extremitatibus usque ad basin styli, sive ad germinis embryones, variis in plantis often-

ditur. Reliqua ad hanc doctrinam spectantia exposuimus in *Fundam. Botan.* vol. I. pag. 106. & sequi.

## FIG. I.

- a Granum unum pollinis, sive farinæ fœcundantis in *Hibisco syriaco* Linn. Superficies spinosa appetet.
- b, pars grani lacerati.
- c, particulæ fœcundantes extra capsulam globuli polliniferi diffusæ.
- d, particulæ fœcundantes acutiori microscopio auctæ, & irregulari figura prædictæ.

## FIG. II.

Grana pollinis rotunda, & aperta ex *Mirabilis Jalapa* Linn.

- a, a, Grana pollinis mediocriter aucta.
- b, granum magis auctum.

## FIG. III.

Pollen ejusdem plantæ.

- a, a, a, grana tria simul juncta.
- b, particulæ fœcundantes humoris granorum pollinis innatantes.
- c, c, particulæ fœcundantes magis auctæ.

## FIG. IV.

Granum pollinis ex *Cucumere sativo*. Linn.

- a, granum rotundum undique spinosum.
- b, particulæ fœcundantes e capsula eductæ.

## FIG. V.

Grana pollinis ex *Bignonia radicante* Linn.

- a, a, grana pollinis oblonga, sulcata.
- b, granum unum magis auctum, compressum, lacerum, cum particulis fœcundantibus.

## FIG. VI.

Pars capsulæ grani pollinis valde aucta ex *Gomphrena globosa*. Linn.

- a, a, membrana capsulæ nuda.
- b, b, pars membranæ particulis fœcundantibus obducta.

## FIG. VII.

a, a, a, grana pollinis pellucida, quæ particulæ fœcundantes intus inclusas gerunt.

Omnis itaque plantæ grana pollinis, sive parvas capsulas moleculis tenuissimis refertas possi-

( XVIII )

possident. *Musci etiam & Filices*, de quibus antea dubitabatur, eodem artificio, & iisdem instrumentis fœcundantur. Quomodo moleculis fœcundantibus embryones vivificantur, ostenditur sequentibus figuris.

**F I G. VIII.**

*Stylus flosculi in Leontodone Taraxaco* Linn.

- a*, stylus magnitudine auctus.
- b, b*, stigmata duo lanuginosa.
- c*, particula stigmatis insigniter aucta.
- d*, villi canaliculati, moleculis farinæ fœcundantis recipiendis additi.

**F I G. IX.**

*Stylus Cardui Crispī* Linn.

- a*, styli pars inferior.
- c, c*, corona villorum in medio styli.
- b, b*, stigmata pistilli.
- d, d*, villi canaliculares, sive vasculares, canali bus ad basin duobus, superne in unum coeuntibus.
- e, e*, particulæ fœcundantes pollinis modo extra villos, modo intra visibles.

**F I G. X.**

*Stylus pistilli in Conyza squarrosa*. Linn.

- a*, styli pars in stigmata sedens.
- b, b*, stigmata duo lanuginosa.
- c*, pars styli magnopere aucta.
- d, d, d, d*, canales longitudinales styli, particulis fœcundantibus pollinis referti, post florescientiam. Hac ratione villi canaliculati stigmatis acceptam a disruptis farinæ antherarum acinis materiam fœcundantem, sive mo-

leculas spermatis masculi, canalibus styli ad germen usque continuatis, committunt.

*e*, granum pollinis *Conyzæ squarrosæ*.

**F I G. XI.**


Pars stigmatis ex *Solano nigro*. Linn.

- a*, particula stigmatis & canarium cum stylo communicantium.
- b, b, b*, villi qui diverso tempore primo acutam, dein obtusam, ac demum rotundam & quasi clavatam extremitatem habent.
- c*, villus separatim delineatus, & valde auctus.
- d, d*, basis villi in duos tubulos divisa.
- e*, pars superior villi admodum dilatata tempore fœcundationis, cum granulo materiæ fœcundantis in fauce aperta.
- g, g*, villi stigmatis magis aucti.
- f, f*, canales styli, qui cum villis tubulatis communicant.

Materia fœcundans, canaliculis villorum excepta, longitudinalibus vasculis committitur, atque ita ad germina pervenit.

Inter reliquias vero observationes, quæ cursum particularum fœcundantium declarant, omnium pulcherrima est modo ad notata in *Solano nigro* Linn. In hac enim planta instantे fœcundatione pili, sive villi stigmatis, summittatem suam naturaliter acutam & conicam, per gradus extendunt, ut pollinis granum, sive integrum capsulam recipiant, atque ut particulæ fœcundantes, post capsulæ rupturam, ulterius progrediantur. *Fund. Bot.* vol. I. p. 107.

A01 1456534



Dyrrillus del.

Pollen

Aug. Döllner scul.












186  
K  
13

T



BIBLI  
Vittor

X

by Google